



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 14. Sancti dæmonem in alios sæuientem impetrantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

Idem lib,
eod. c. 11,
& 12,

in puellam; quam vsque ad maturam aetatem miserè cruciauit. Alia duo recenset idem author, vnum de vxore, alterum de filio, quibus maritus & pater diabolum imprecatus est cum effectu. Nihil habent ergo isti, quod accusent Mundi gubernatorem. Digni sunt hac pœna, in qua Deum ludunt. Ludunt autem, si petunt, quod nolunt impetrare.

§. XIV.

Sancti demonem in alios fauientem impetrantes.

Andoen.
Rhotomagen-
sis
præsul in
vita S. Eli-
gij lib. 2.
c. 20.

Quamquam etiam bono zelo Sancti leguntur hunc Spiritum præuaricantibus imprecati, vel pro potestate sua etiam immississe, in iustam peccati pœnam, ac emendationem. S. Eligius Nouiomensis Episcopus, viderat à suis subditis, in natali die S. Petri, impios quosdam ac superstitiosos chorearum ritus celebrari. Eos, pro officio suo, volebat esse abrogatos. Vfus argumentis; surdi fuerunt. Vfus est imperijs; quasi saxum fuere immobiles. Vtq; plerumq; est inemendabilis pertinax consuetudo, cum corrigi deberent, facti sunt longè insolentiores. Vltimum remedium petijt à Deo Eligius, vt in eos animaduertere-
ret.

ret. Petijt, impetrauit. Mox enim amplius triginta (alij quinquaginta numerant) obfessi sunt à spiritibus mundis. Tremuerunt hoc tam diro spectaculo reliqui, & sociorum miserti Sanctum virum rogauerunt, vt eos hoc supplicio liberaret: quibus respondit: *Experiantur prius, cui seruire elegerint.* Perdurauit ea vexatio, per solidum annum. Vertente anno, ac natali S. Petri demum redeunte, intolerabili illa tortura sunt liberati. Ita plebeia petulantia minimè plebeo modo, & chorea choreis ipsis punita est. Castigata quoque ad eundem modum militaris licentia legitur, apud Magaum Gregorium. Siquidem *Valeria prouinciam Longobardis intrantibus, ex monasterio reuerendissimi viri Equiti in prædicto oratorio ad sepulchrum eius monachi fugerunt. Cumq; Longobardi seuietes oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foras trahere, vt eos aut per tormenta discuterent, aut gladijs necarent; quorum vnus ingemuit, atque acri dolore commotus clamauit: Heu, heu, Sancte Equiti, placet tibi, quòd trahimur, & non nos defendis? Ad cuius vocem protinus seuietes Longobardos immundus spiritus inuasit. Qui corruentes in terram*

S. Greg.
lib. 1. dial.
c. 4.

tam diu vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Longobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare ulterius non auderent. Utinam, hoc tempore, Equitij hæc potestas etiam alijs Diuis concederetur, quorum templa quotidie violantur! Sed ea, pro dolor, est militaris disciplina, ut milites ipsi diabolorum vice fungi videantur. Ceterum non est nouum, si sanctis aliquando hæc potestas datur, cum, ut su-

1. Cor. 5. 5. præ vidimus, etiam Corinthiū Paulus tradiderit Satanæ *in interitum carnis, ut Spiritus saluus fieret*; ut alibi Hymenæum quo-

1. Tim. 1. que & Alexandrum, ob blasphemias. Ac-
20. cusatis enim ijs, qui *circa fidem naufragauerunt*, addit: *ex quibus est Hymeneus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Quæritur, quid sit trade-

Theodor. re Satanæ? Respondetur, eos qui excom-
in 1. Tim. municantur tradi Satanæ, qui extra Eccle-
v. 20. & S. siam regnat, eoque ipso excommunicatos,
Ambros. tempore Apostolorum, solebat in anima,
ibid. & in corpore affligere. Dum enim orationibus, suffragijs, sacrificijs, sacramentis, societate Christi atque Ecclesiæ, diuinæque protectione, & pastoralis cura alijsque bonis priuabantur, ita tyrannidi & incur-
bus

bus dæmoniorum exponebantur, vt in eos magis quàm antè grassarentur, ægritudine corporis, vulneribus aut plagis, quasi possessos, hoc est enim *in interitum carnis* tradere. Quemadmodum postea, cùm S. Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere cœpit.

Paulin. in
vita S.
Ambrosij

§ XV.

Quàm iuste Diui subinde, immisso malo spiritu, impios puniant?

Quòd si mortales hoc rectè fecerunt, cur non & Diui calites, eodem vindice, vterentur, ad honorem suum defendendum? Enimuerò vsi sunt. Luculentus testis est Gregorius Turonensis, apud Tricasinorum Campaniæ urbem templum fuisse, in quo S. Lupi ossa condita fuerunt. Ad illud templum Mauri cuiusdam seruus confugit, quem assecutus herus in S. Lupum verba blasphema euomuit, qui extemplo diuinam ultionem sensit. Quippe lingua, qua dira verba effudit, obrigit; & Tartareo enthusiasmo agitatedum horrendum mugire, totamq; clamoribus inconditis ædem replere cœpit, tertiaque die, cum grauissimo cruciatu, vitam finiuit. Vt Ma-

S. Gregorius
Turonensis cap.
67. de
Gloria
Confess.